



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Concilivm Antiochenvm II. Ab Arianis Celebratvm Svb Ivlio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

IVLIVS ROMANVM III. CONSTANTIVS } IMPP. 689
P. I. CONSTANS }

ANNO
CHRISTI
342.

legata, subiungit: *Magnaue indignatio exorta est contra Eusebianos, quibus Iulium, cum ab eis literas accepisset, rescribere iusserunt.* Hanc Synodum a priore Romana diuersam non esse arbitantes, ideo quod Athanasii aliorumque absolutiones subsequente epistola post cladem Alexandrinam enarrentur, grauius errant; id enim factum est per anticipationem, qua solent quandoque propter rerum affinitatem prius enarrari ea quæ posterius acciderunt. Anno 341. Romana Synodo prædictos episcopos absolutos, alia quadam anno 342. celebrata Eusebianorum literas expostulatorias perfectas, ac demum mandato Synodi, per rescriptum Iulii ad Synodum sequente anno 343. Romæ congregandam, vocatos fuisse, mirum esse non debet: cum non tantum lege apostolica, de qua in Can. apostolorum supra egimus, verum etiam Antiocheno Eusebianorum Conciliabulo constitutum fuerit, ut bis in anno Concilia episcoporum saltem comprouincialium celebrentur. Vide Baronium an. 341. num. 47. an. 342. num. 28. & 34. Ea quæ notauimus supra ad 4. epistolam Iulii, non parum huc faciunt.

Hæc Syno-
dus a præ-
cedente
Romana
diuersa fuit.

EPISTOLA SYNODICA
AD EVSEBIANOS SCRIPTA.

LEGI epistolam vestram, &c. *Excusa est supra inter Iulianas quarta.*

ANNO
CHRISTI
344.

CONCILIVM ANTIOCHENVM II.
AB ARIANIS CELEBRATVM SVB IVLIO.

NOTA.

* *Concilium Antiochenum II.*] Hanc Synodum ab Arianis, anno tertio post Antiochenam in encæniis celebratam, habitam fuisse Antiochiæ, anno Christi 344. atque in ea prioribus quatuor fidei formulis reiectis, aliam ceteris prolixiorē, & ad occidentales episcopos, quos nulla adhuc Arianæ perfidiæ labecula contaminarat, decipientes conuenienter edidisse, eamque in occidentem nullo cum fructu transmississe, post Athanasium Sozom. lib. 1. cap. 10. aperte indicat, his verbis: *Triennio vero iam intermisso (nimirum a priore Synodo Antiochiæ in encæniis anno 341. celebrata) episcopi orientis aliam fidei formulam, quam $\mu\alpha\chi\rho\sigma\tau\epsilon\rho\nu$, id est prolixam, vel multas lineas comprehendentem nominabant, propterea quod multo pluribus verbis ac nominibus quam priores formulæ conscripta erat, episcopis occidentis miserunt: in qua, ut essentia Dei nullam facere mentionem, sic illis qui Filium Dei asserabant, vel ex nihilo ortum esse, vel ex alia essentia quam Dei patris constare, vel tempus sæculumve fuisse quando non erat, anathema indixere. Quam formulam ab Eudoxio episcopo iam tum Germanicia, & Martyrio & Macedonio ad se perlatam, episcopi occidentis non receperunt. Nam responderunt se decretis Nicæni Concilii velle acquiescere: & præter illa nihil amplius curiose inquirendum curarunt.* Hæc Sozom. eumque secutus Concil. Tom. 2.

Locus &
tempus
Concilii.

SSII

Causa Con-
cili.

Socrates libro 2. capite 15. Prædicto tempore hanc Synodum habitam fuisse etiam manifeste colligitur ex Athanasio de Synodis, cum ait, *Rursum quasi istorum pœnitentia laborarent*, nempe de editis quatuor fidei regulis, *pœnitentes, post triennium iterum in Confessum veniunt*. Ut ergo orientales episcopi eam, qua laborabant, Ariane hæreseos suspicionem eluerent, & ab Ariano contagio se procul abhorreere significarent, probatum in magna Nicæna Synodo nomen *consubstantialitatis*, delerent, ipsumque vocabulum prædictum crebris validisque arietum ictibus quatientes omnem simul cum eo fidem orthodoxam prosternerent, sicque Arii impietatem diu dolo suppressam erigerent, hanc quam infra subiungimus formulam fidei, qua Ariana hæresis specie tenus condemnatur, omnesque eius positiones simplicioribus destrui videntur, ediderunt; editamque per Eudoxium, Martyrium, Macedonium & Demophilum ad occidentalis ecclesiæ episcopos transmiserunt. Quo euentu, sequenti Concilio constabit. Vide Baronium anno 344. num. 1. 2. 3. 4.

FORMVLA FIDEI HÆC EST.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, conditorem factoremque omnium, ex quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur. Et in vnigenitum eius Filium, Dominum nostrum, ante omnia sæcula ex Patre natum: Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem omnia facta sunt in cælo & in terra, tum visibilia tum inuisibilia, eundemque Verbum esse, sapientiam, potentiam, & vitam, & Lucem veram, qui vltimis diebus propter nos homo factus, & genitus ex Maria virgine, crucifixus, & mortuus est, & resurrexit tertia die a morte, & in cælum subuectus est, sedetque ad dextram Patris, & venturus est in consummatione sæculi adiudicandum vivos & mortuos, & reddendum vnique secundum opera sua, cuius regnum indefinens permanet in infinitas atates. Sedet enim ad dextram Patris non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Credimus item in Spiritum sanctum, hoc est Paraclitum, quem cum pollicitus esset apostolis post reditum suum in cælos, misit ut doceret eos, & commonefaceret omnium: per quem animæ quæ in illum sinceriter credunt sanctificantur. Eos autem qui dicunt Deum ex non ente extitisse aut ex alia subsistentia, & non ex Deo, & quod tempus ante sæculum aliquod fuit, quod nondum esset Filius, alienos a se censet & agnoscit sancta & catholica ecclesia. Similiter & eos qui dicunt tres ef-

ANNO
 CHRISTI
 344

se deos, aut Christum non esse Deum, aut ante saecula eum
 nec Christum nec Dei Filium fuisse, aut eundem esse Pa-
 trem, & Filium, & Spiritum sanctum: aut Filium ingeni-
 tum, aut quod non de consilio suo & voluntate Pater Fi-
 lium genuerit, hos omnes anathemate ferit sancta & ca-
 tholica ecclesia. Non enim tutum est dicere Filium ex
 non ente ad essentiam prodiisse, eo quod illud in sacris
 literis nusquam de Filio feratur. Neque illum ex vlla alia
 substantia praexistente, & qua Pater non esset, genitum
 esse, sed solum ex Deo genuine & naturaliter natum esse
 definimus. Vnum enim ingentum & nullo principio in-
 choatum Christi Patrem sacra scriptura commonstrat.
 Sed neque illi qui subtiliter dicunt fuisse aliquando,
 quando non erat, ex literis qua sacra scriptura non sunt,
 temporale aliquod interstitium, quod ante ipsum fuerit, co-
 gitare debent, sed solum dum intemporaliter Deum ge-
 nitum esse, eo quod tempora & aetates per eum sint con-
 ditae, non tamen eum coinexordiatum & coingentum
 cum Patre existimare fas est. Neuter enim proprie siue
 Pater siue Filius coinoriginatus, aut coingentus, vt ea
 parte collegam habeat, dici potest. Sed Patrem solum
 nullo principio inchoatum ineffabiliter, & omnibus in-
 comprehensibiliter, ante saecula genuisse agnoscimus, ac
 proinde Filium non itidem, vti Patrem, ingentum dici
 posse, sed principem exordiumque sui Patrem habere qui
 ipsum genuit. Caput enim Christi Deus: neque tamen
 ob id quia ternas res, & tres personas Patris & Filii &
 Spiritus sancti secundum scripturas cofitemur, tres Deos
 facimus. Quoniam perfectum ingentum, & nullo prin-
 cipio inchoatum, inuisibilem vnum Deum agnoscimus,
 Deum & Patrem Vnigeniti, qui solus ex se habet id ipsum
 quod est, solusque omnibus aliis benigne largitur vt sint:
 non tamen quia vnum solum Deum esse Patrem Domini
 nostri Iesu Christi, vnumque ingentum profiteamur, ideo
 Christum Deum ante saecula esse abnegamus, qualia faciunt
 Pauli Samosatensis discipuli, qui eum post incarnationem
 suam ex profectu virtutis Deum factum esse asseuerant, eo
 quod merus homo esset. Scimus enim eum, tametsi subie-
 ctus sit Patri & Deo, ante saecula tamen genitum ex Deo,
 Deum secundum naturam perfectum & verum esse, neque

ex homine Deum, sed ex Deo hominem, propter nos factum esse, & neutiquam vlllo in tempore suam essentiam perdidisse. Abominamur præterea & anathemate execramur, qui illum tantummodo nudum verbum Dei sine substantia commentitia ratione nominant, quique in alio habeat, quod sit, quemque nunc, vti vocem quæ ore profertur, nunc vti dictionem quæ in cogitatu versatur intelligunt: Christum autem ipsum, & Filium Dei, & mediatorem, & imaginem, non ante sæcula fuisse contendunt, sed ex eo tempore eum Christum & Filium Dei factum esse, ex quo nostram carnem ex Virgine assumpsit, non totis ab hinc quadringentis annis. Ab eo enim tempore volunt Christum initium regni adeptum esse, regni-que finem habiturum, post consummationem & iudicium. Tales sunt discipuli Marcelli & Photini Ancyrogalarum, qui ante sæcularem essentiam Christi, eiusque deitatem & regnum indefinens, itidem vt Iudæi inficiantur, sub prætextu constituendæ monarchiæ. Scimus enim eum non simpliciter Verbum, quod ore Dei profertur, aut quod in eius animo cogitatur, sed viuum Verbum, quod per se existit, & Filium Dei & Christum esse, neque eum ratione prouidentia, eo quod Pater talem eum futurum præcognouerat, cum Patre fuisse, & conuersatum esse ante sæcula, sed illi administrum fuisse ad omne opificium, visibillum simul & inuisibillum. Hic enim est ad quem Pater dixit: *Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram*, & qui patriarchis in suamet ipsius persona visus est, legem dedit, & locutus est per prophetas, & tandem homo factus est, & suum Patrem omnibus manifestavit, & regnat per infinita sæcula. Non enim recentem dignitatem assumpsit Christus, sed ab initio eum Patri per omnia similem credimus: illosque qui dicunt eundem illum Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse, & de vna re personaque tria ista nomina impie accipiunt, merito ab ecclesia abdicamus, eo quod impatibilem & nullo loco circumscriptum Patrem, patibilem simul & loco circumscriptum per incarnationem fingunt. Tales enim sunt apud Romanos quidem Patropassiani, apud nos vero Sabelliani. Scimus item Patrem qui emittit, in suo inalterabilis deitatis ingenio & moribus per-

Gen. 1.

ANNO
 CHRISTI
 344

manſiſſe, Chriſtum vero qui miſſus eſt, humanitatis aſſumptæ officium adimpleviſſe. Eos vero qui non conſilio neque voluntate Patrem genuiſſe Filium irreuerenter dicunt, & neceſſitatem & inuitum quiddam & ſeruam impeditamque eligendi poteſtatem Deo adiungunt, ita vt nolens genuerit Filium, impiiſſimos & alieniſſimos ab eccleſiis cenſemus, eo quod præter nouas de deitate ſententias, & præter voluntatem ſacræ ſcripturæ, talia de eo ſint auſi deſinire. Nos contra, omnipotentem Deum, eumque ſui ipſius Dominum agnocentes, ſponte libenterque Filium ſuum genuiſſe cum pietate arbitramur, & reuerenter ipſi de ſe loquenti credimus: *Dominus creauit* Præſ. 3.
me initium uiarum ſuarum ad opera ſua: non tamen eum ita creatum eſſe, vt ſimilis ſit rebus per ipſum conditis, exiſtimamus. Eſt enim hoc ipſum impium, & alienum ab eccleſiaſtica fide, conditorem cum rebus ab ipſo conditis æquiparare, & eandem cum aliis generationis rationem obtinere credere, cum vnum vnice vnigenitum Filium genuine & vere natum eſſe, ſacræ ſcripturæ comonſtrent. Verum quia Filium non per ſe eſſe, viuere & exiſtere dicimus, itidem vt Pater, ideo eum ſeparamus a Patre, non quaſi loca interuallaque in eorum coniunctiõne corporaliter ſingamus. Credimus enim eos immediate & ſine intercapedine ſibi mutuo coaptatos conſertosque, & inſeparabiles a ſe inuicem eſſe, integro Patre Filium complectente, integro Filio ab eo pendente & cohærente, & perpetuo in Patris ſinu requieſcente. Credentes igitur in integram & ſanctiſſimam Trinitatem, hoc eſt in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & Deum Patrem dicentes, Deum item Filium, non duos deos, ſed vnã deitatis maieſtatem proſitemur, & vnã regni perfectam concordiam, vt omnium vbique ſolus Pater ſit Dominus, atque adeo etiam ipſus ſui Filii: Filiusque viciffim ei ſubiectus ſit, qui eo excepto omnium a ſe conditorum poſt illum rex & imperator eſt. Et in Spiritu ſancti gratiam, qui omnibus ſanctis aſſatim Patris voluntate donatur. Ita enim de Chriſti monarchia loqui ſacræ literæ nos docuerunt. Hæc coacti ſumus poſt fidem compendiõ editam latius explicare, non ambitionis cauſa, ſed vt nos ab omni ſuſpiciõne, quæ minime in nos com-

petit, purgaremus, apud eos quibus res nostræ cognitæ non sunt, & vt omnes occidentales pariter intelligerent, & calumnias eorum qui diuersas opiniones fouent, & orientalium in Christo ecclesiasticos animos, rem ita esse attestantibus libere sacris scripturis, apud eos saltem qui incorrupti sunt.

ANNO
CHRISTI
344.

CONCILIVM MEDIOLANENSE I.
S V B I V L I O
A CATHOLICIS CELEBRATVM.
N O T A.

Causa
Concilii.

Decretum
Concilii.

^a *Concilium.*] Cum Eudoxius, Martyrius, Macedonius & Demophilus orientalium legati prædicto Concilio Antiocheno designati, iuxta formulam fidei, quam velut catholicam & orthodoxam venditabant, sibi atque omnibus orientalibus velut orthodoxis & catholicis episcopis communionem Romanæ ecclesiæ impertiri petiuisent, orthodoxi patres in hoc Conuentu Mediolani congregati, ante omnia oblatam fidei formulam examinantes, ipsam ob nouitatem & nomen *consubstantialitatis* omissum reiecerunt; ideo maxime, quod ad abluendam labem ex Arianæ hæreseos suspitione contractam, & ad communionem ecclesiæ catholicæ impetrandam, satis fuisset catholicæ fidei Nicænum symbolum profiteri, ipsumque suo chirographo consignatum, quod fecerant antehac alii, Romam misisse. Cum igitur fraude eorum cognita orthodoxi episcopi Arii sententias condemnare vellent, legati, qui hæctenus & verbis & scriptis se id facturos esse præ se tulerant, continuo resilierunt, simulque suam & aliorum imposturam detexerunt. Ad fidem Verbi diuini Deo patri consubstantialis per occultos meatus & cuniculos euertendam, non satis hominibus perfidis ac turbulentis fuit quod Athanasium falsis criminibus affectis circumuenissent, ipsumque cum pluribus aliis fidei defensoribus sedibus exturbassent, sed oportebat etiam apud occidentales hoc ad fraudem & imposturam adiicere, vt crebris de fide catholica Conciliis celebratis, velut mole quadam vnicum Nicænum obruerent, statutamque in ea vnicam fidei catholicæ professionem toto orbe receptam, formulis aliis a se frequenter commutatis, eliminarent. Rem hoc Concilio gestam Liberius pontifex in ea epistola quam ad Constantium scripsit (quamque ex tomo 9. biblioth. SS. patrum infra sub Liberio posuimus) his verbis describit: *Significant orientales paci se nostra velle coniungi. Qua est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor episcopi Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, (scripta est hæc epistola anno post hunc octauo) cum apud Mediolanum Arii hæreticam*